

cidio, Advocatus Rei sistendo eum, qui dicebatur occisus, facile potuit reum liberare, neque hinc quidquam sententia virum habuit, utpote quasi elusoria, & ridicula.

Quantum ad merum imperium attinet, quatenus hodie de consuetudine jure magistratus competere censetur, consequens videtur, hinc quoque præscriptione acquiri posse. Nam quemadmodum supra de mandato meri imperii propositum fuit, & per distinctionem inter jus hodiernum, & Justinianum res expedita fuit: ita etiam hoc in loco & quidem ex eodem fundamento de eo quaeritur; An magistratum esse oporteat, qui velit præscribere merum imperium? Id expedi-ri poterit ex eo, quod superius etiam de privato dictum est, an ipsi à lege possit dari merum imperium. Et quatenus Lotharii, de qua supra vera esset, minus esset dubium. Verum quatenus Azonis sententia communiter recepta est, & ad nostram politiam spectet, id quod de privato dicitur, generaliter & per vocem (*neesse*) non potest verificari per Theoricos præceptores. Nam & de regalibus adduci posset exemplum: Imò verò quod in multis locis emanantur exercitia jurisdictionum, ut ex historicis probari potest.

THEORICORVM PRÆCEPTORVM

propositio vigesima tertia.

Controversia hic moveri solet: An hodie Princeps etiam inferior non modò specialem jurisdictionem, sed & merum imperium alicui in feudum concedere possit? Quod affirmamus cum Colero *in tract. de processib. execut. part. 2. cap. 1. nu. 112.*

Merum imperium an ab inferiore in feudum concedi possit.

PRACTICORVM OPINIO.

Hæc practica & in his utrobique consensus est, si scilicet hodiernam nostram politiam intueamur, de qua aliquoties dictum est. Sed quomodo Theorici Præceptores hinc poterunt